



*St. Gallen 1*



1. Pappi s. Joh. s. theser de Sacra Scriptura  
tab. 1593.
2. Gerlach s. Sept. diff. de vera Certe.  
lia, tab. 1593.
3. diff. de foundationibus in  
Ecclisia, tab. 1593.
4. Pappi s. Joh. s. theser de Ecclisia  
Argent. 1594.
5. Fabri s. Joh. s. theser de peccato  
originali Argent. 1595.
6. Marbachij s. phil. s. theser de  
justificatione hominis  
Argent. 1597.  
diff. de Baptisme.
7. Argent. 1601.

4  
54

THESES  
DE ECCLESIA,

*Quas sūv Θεῶ*

PRÆSIDE

IOHANNE PAPPO, DOCTORE  
Theologo, xix & xx. Septembris de-  
fendere conabitur

M. IOHANNES CASPARVS PAPPVS  
Lindauensis, earum Author.



Argentorati, Excudebat Antonius Bertramus,  
clo. Ic. xcIV.



NOBILISSIMIS VIRIS,  
D. SEBASTIANO ZORNIO IN BLOPS  
HEIM, Reipublicæ Argentoratensis  
Quindecimuro;

Et

D. ADAMO ZORNIO IN BLOPSHEIM;

Patronis suis honorandis, testificandæ suæ erga  
ippos obseruantia gratia, hasce Theses  
dedicat

M. IOHANNES CASPARVS PAPPVS  
Lindauiensis.

# Theſcs DE ECCLESIA.

## I.

**E**CCL<sup>E</sup>SIAE vocabulum, profanis etiam scriptoribus familiare, Nomen quemuis cœtum seu populi congregationem significat. In sacris vero literis, inter alias potestates, speciatim denotat cœtum, ad exercendos cultus sacros, conuocatum.

2. Et in hac significatione non uno modo accipitur. Alias enim designat cœtum impiorum, & Ecclesiam malignantium. Psalm. 26, 5. quæ licet crassissimos errores defendat, sub speciosissimo tamē Ecclesiæ titulo eos obtexit, & veritatis fuso illinit. Nonnunquam vero, & maximè proprie pro Dei populo, seu Ecclesia Christi sumitur.

3. Atque sic consideratur vel qualis est in alterius vita regno, contra omnes suos hostes triumphans, suauissima Dei contemplatione, aeternaque felicitatis gaudijs perfruens. De qua alibi. Vel consideratur qualis in hoc mundo est, militans adhuc sub vexillo crucis, & aduersus diabolum, peccatum & mundum pugnans. De qua in hac Disputatione methodicam tractationem instituere, σὺν θεῷ, animus est.

4. Definiri autem generaliter huc in modum potest. Ecclesia est congregatio hominum, qui voce Euangeli vocati, verbum Dei audiunt, & Sacramentis à Christo institutis vtuntur.

5. Et consideratur vel ex Elecione: vel ex Vocatione: ita tamen ut altera alteri non contrarie opposita, sed subalterna sit, & Ecclesia Electorum, sub Vocatione Ecclesia continetur.

6. Ecclesia ex electione estimata, est cœtus inuisibilis eorum, qui vera fide, verbo innixa, Christum apprehendunt, & fidei suæ finem, vitam scilicet aeternam consequuntur.

7. Dicitur Inuisibilis, non quod illius cœtus homines, ratione personaæ suæ, sub aspectum non veniant, aut quod à visibili ministerio, & diuinis cultus exercitio segregati sint: sed propter proprietates & notas inuisibiles & in corde latentes, quibus illi, soli Deo, & filio eius Iesu Christo cogniti sunt.

8. Ex vocatione considerata Ecclesia, est cōgregatio visibilis eorum, qui amplectuntur verbum Dei, & utuntur Sacramentis verbo diuinitus annexis: quibus multi hypocritae, impij, & non renati admixti sunt, in doctrinæ tamen professione, & externo sacrorum vsu consentientes.

9. Appellatur Visibilis, propter notas visibiles & in oculos incurrites: externam videlicet prædicationem verbi, & aspectabilem Sacramentorum usum.

Divisio. 10. Hæc in integrum & corruptam dividitur. Integra est, quæ habet puram & sinceram verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem. Corrupta contraria.

11. In utraque tamen, tam integræ, quam corruptæ, semen quoddam Electorum est, soli Deo, qui corda renesque hominum scrutatur, cognitum. Firmum enim fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Nouis Dominus qui sunt sui. 2. Tim. 2, 19.

12. Proinde ea etiam laudum præconia, quæ hinc inde in Prophetarum & Apostolorum scriptis, impi interdum cœtui ascribuntur, ad solos Electos, in illa congregazione latentes, referenda sunt.

Causa efficiens. 13. ECCLESIAE author Deus est, qui ex uniuerso hominum generere cœtum aliquem eligit, quem veritatis cœlestis agnitione illustrat, & in vera fide permanentem & eterna donat beatitudine.

14. Testantur hoc, præter alia Scripturae testimonia, ea cum primis, quæ Deum habere vineam, generosis vitibus consitam, elegantis anè similitudine confirmant. Esa 5, 2. Ierem. 2, 21. Matth. 21, 33. Marc. 12, 1. Luc. 20, 9.

15. Quæque Deum messis esse Dominum asserunt. Matth. 9, 38. Luc. 10, 2. & probant Christum edificare Ecclesiam, Matth. 16, 18. atque suos congregare, quemadmodum gallina pullos sub alas, Matth. 23, 37.

16. Hunc autem cœtum, quæ Deus colligit, perpetuo etiam tuetur ac conseruat, non solum contra insultus, furores ac tyrannidem diaboli & hostium Ecclesie; sed etiam in medijs inualescentium errorum tenebris: ita ut semper fint electi aliqui, qui aut non inuoluantur erroribus, salutis fundamentum concutientibus: aut certè ad finem usque in ijs non perseverent, sed apprehenso angulari lapide Iesu Christo, æternæ felicitatis tandem fiant participes.

17. Firma enim & immota manet Christi Seruatoris promissio, quod ne qui-

- ne quidē inferorū portæ præualituræ sint aduersus Ecclesiā. Matth. 18.  
18. Quæ promissio præstat, vt nullo vñquam tempore vera deficiat Ecclesia: sed à Deo custodiatur semen sanctum electorum, sancte q̄, reliquie, etiam tūm, quando impia idololatrarum colluuies publicum ministerium inuolat.
19. Cuius rei illustre exemplum Ecclesia Israeliteca suppeditat, sanctissimi prophetæ Eliæ temporibus.
20. Etenim cum idolomania Baalitica totam ferè Israelis Ecclesiam occupasset, adeò vt qui detestandum idolum Baal adorare detrectassent, nefariè trucidarentur, & crudelissimè è viuis tollerentur: in medijs tamen hisce tempestatibus, Deus sibi septem millia Electorum cōseruauit, qui non flexerunt genua ante Baal. 1. Reg. 19, 18. Rom. 11, 4.
21. Quemadmodum verò in Ecclesia Israeliteca Electos suos custoduit Deus, ne impuro Baalis cultu polluerentur, néue cum promiscua idololatrarum turba in æternum exitium præcipites agerentur: ita existimandum & firmo assensu credendum est, eundem Deum superioribus quoque temporibus, (cū sub Romani Antichristi iugo & dominatu omnis generis errores, diluīj instar, Ecclesiam obruerent) Electos suos conseruasse, vt in errores istos non consenserint: aut si quoque ob vehementem errorum inundationem in Antichristianæ impietatis gurgitem absorpti sunt, in eo tamen non perierint, sed Christum salutis anchoram apprehendentes, tandem emerserint, & ad æterna vitæ portum appulerint.
22. Nam Christus Seruator hāc Electorum sub Papatu conseruacionem, iam olim perspicua promissione spopondit. Matth. 24, 24.
23. Eamq; Euangelista & Apostolus Iohannes confirmauit, dum scripsit: Vidisse se exercitum electorum centum quadraginta quatuor milium, qui non sint coinquinati cum malieribus, quiq; habuerint nomen patris cœlestis scriptum in frontibus. Apocal. 14, 1.
24. Quæ perspicua & dilucida sacræ Scripturæ testimonia potiora nobis esse debent, quàm nonnullorum Antichristianæ Synagogæ patronorum RATIOCINATI O N E S: miseræ sanè ratiocinationes, quibus concludant: Si Pontificij verā nō sint Ecclesia, consequi quoddante D. Lutheri tempora, nulla in orbe terrarum vera fuerit Ecclesia.
25. Consequentia enim rationem negat Christus, negat Iohannes,

qui euidentissimè ostendunt, Deum in densissimis tenebris, ante finem mundi sub Antichristo exorituris, Electorum suorum curā habiturum, eos conseruaturum, & Spiritu suo gubernaturum esse, ne finaliter errerent, à vera fide deficiant, & cœlesti hereditate excidant.

26. Quapropter his S. literarum testimonij, omni exceptione maioribus, nisi, dicimus, & iterum atque iterum dicimus, repetimus & ingeminamus: Etsi Romani Pontificis factio, & impia clericorum turba superioribus temporibus vera non fuerit Ecclesia; tamen sub regno Pontificio, veram Christi mansisse Ecclesiam, viuaq; huius membra, fideles & Electos.

27. Quorum aliqui sub pueritiae annis, ex hac vita, ad Triumphantem alterius saeculi Ecclesiam euocati sunt: antequam peruersa Pontificiorum dogmata imbiberunt, & calculo suo approbarunt.

28. Nonnulli multiplicibus erroribus, manifestis abusibus & varijs superstitionibus Synagogæ Pontificie pleno ore reclamarunt, & alacri conatu restiterunt: qui tamen tyrannide Antichristi, & eius satellitum immanitate repressi, diris supplicijs affecti, alijsq; modis è medio sublati sunt, ut hodie illorum nomen & memoria, maxima ex parte sit abolita.

29. Quidam ex purioris doctrinæ reliquijs, quæ in Romana Ecclesia supererant, viam salutis et iustificationis modum didicerunt: Spiritus sancti gratia Christum Seruatorem proprius agnoverunt: in eoque spe firma & filiali prorsus fiducia acquieuerunt: atque ita placidissime ex hac vita discesserunt.

30. Nonnulli denique tametsi de Pontificijs erroribus aliquos contraxerunt: abusus & superstitiones Romanæ Babylonis ad tempus approbarunt: atque Papæ placita, velut summi Dei oracula receperunt & cominus adorarunt: tamen in extremo mortis agone constituti, & de horrenda ira Dei aduersus peccata grauissimè tentati (cum ex Pontifica religione, consolationem firmam habere se non posse animaduertarent) stipulas errorum conceptas abiecerunt, easq; in illo temptationis ignis exuri ac conflagrari passi sunt: se, apprehenso Christo, saluis manentibus.

31. Quam ad rem non parùm ponderis momentiq; contulit, quod moribundi ex Hortulo animæ omnem suam spem in solum meritum, passionem & mortem IESV CHRISTI collocare, eiq; firma fiducia inniti iussi

niti iussi sunt. Quod audientes Electi, indeq; Christi Seruatoris sacro-  
sanctum meritum perpendentes, & ad animum reuocantes, sine dubio  
solida in eo fide acqueuerunt, atque ita saluati sunt.

32. Ex quibus manifestum est, Deum qui ab initio mundi semper sibi  
collegit Ecclesiam, eandem quoque conseruasse ac custodiuisse perpetuo:  
in medijs etiam omnis generis errorum tenebris, ac abominandarum su-  
perstitionum caligine.

33. Porrò hominum ex quibus Deus colligit Ecclesiam, collectamq; Causam  
conseruat, alia in Veteri, alia in Nuovo Testamento est ratio. terialis.

34. Nam ad Veteris Testamenti Ecclesiam eos tantum vocabat De-  
us, qui ex posteritate Abrahae genus & originem ducebant: secundum  
sæderis promissiæm ipsi Abrahamo factam: Ego Deus tuus, & seminis  
tui post te. Gen. 17, 7.

35. Hos enim tantummodo cognoscebat Deus ex omnibus terræ co-  
gnationibus, Amos 3, 2. ijsq; annunciabat verbum suum, statuta &  
iudicia sua, nec faciebat taliter omni nationi, Psalm. 147, 19. & 20.

36. Quamobrem etiam testatur Paulus Israelitarum fuisse & ado-  
ptionem, & testamenta, & legislationem, & cultum & promissiones.  
Rom. 9, 4.

37. Reliqui verò populi, quocunque insignebantur nomine, ad Eccle-  
siam Dei non pertinebant: sed vt Apostolus loquitur, alienati erant ab  
Israelis Republica, & hospites testamentorum promissionis, spem non ha-  
bentes, & sine Deo in hoc mundo. Ephes. 2, 12.

38. Hinc paucissimi excipiebantur proselyti, qui patriâ superstitione  
relictâ, Iudaicam religionem amplectebantur, seq; cum populo Dei, &  
vera Ecclesia coniungebant.

39. At verò in Nuovo Testamento Deus personam non respicit, sed in  
quauis gente qui timet ipsum & operatur iustitiam acceptus est ei: se-  
cundum illud D. Petri testimonium, Actor. 10, 34. & 35.

40. Quocircà non amplius ex solis Iudeis congregat Ecclesiam, sed ad  
eius communionem & societatem gentes quoque vocat: ita vt nunc Ec-  
clesia ex Iudeis pariter ac gentibus constet.

41. Christus enim qui est pax nostra ex utrisque fecit unum, & inter-  
stitium materiæ diruit, simultatem per carnem suam, & legem man-  
datorum in decretis sitam abrogans, vt duos conderet in semetipso in

vnum nouum hominem faciens pacem, & reconciliaret ambos in vno corpore Deo per crucem, perempta inimicitia per eam. Ephes. 2, 14. & seqq.

42. Hinc inquit, se alias habere oves non ex ouili hoc, quas oporteat quoque adducere, ut vocem suam audiant, & fiat vnum ouile & unus pastor. Ioh. 10, 16.

43. Quicunque igitur homines, Ecclesiae Christi in Nouo Testamento aggregare sese voluerint, ijs ianua panditur, siue iam ex Iudaeis prognati sint, siue ab Ethnicis genus suum deriuuent: idq; per Baptismum.

44. Baptismus enim initiationis Sacramentum est, quo inaugurate homines, liberam consequuntur potestatem ingrediendi in Ecclesiam.

45. Est & pars diuinæ vocationis, qua Deus ad Ecclesiae suæ consortium homines inuitat: cui vocationi qui obtemperant, & Baptismum percipiunt, ij pro ciuib; Ecclesiae iure optimo venditare sese possunt.

46. Quemadmodum verò non omnes qui baptizati sunt beneficiis in Baptismi scđere promissis gaudent: sed multò maxima pars propter in crudelitatem, & omnis generis peccata ijs excidit: ita non omnes qui sunt in Ecclesia, vera & viua eius membra sunt.

47. Nam mali sunt mixti bonis: reprobi commercium habent cum fidelibus: Christianis hypocritæ coniuncti sunt.

48. Ostendunt hoc Christi Seruatoris parabolæ, in quibus Ecclesiam Agro assimilat, in quo tritico bono immixta sunt zizania ab inimico cōsita, quæ vnâ cum tritico in uno eodemq; agro nascentia, damnum haud exiguum illi inferunt. Matth. 13, 24 & seqq.

49. Et cum Sagenæ eam comparat, in qua omnis generis pisces cōgregantur, & ad littus trahuntur, donec in consummatione sæculi pisces boni in vasa colligantur, mali verò foras eijciantur. Matth. 13, 47.

50. Declarat idem Iohannis Baptistæ similitudo, qua Ecclesiam Areæ confert, in qua non solum est triticum, sed eidem adiuncta paleæ, eousq; dum areae Dominus in manus sumat ventilabrum, & aream suam purget: triticum quidem in horrea colligens, paleas verò igne comburens. Matth. 3, 12.

51. Astipulatur quoque hisce Paulus Apostolus, cùm in Epistola ad Timotheum scribit, in magna domo nō solum vasa aurea & argentea esse, sed etiam lignea & fictilia: & quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam. 2, Tim. 2, 20.

52. Exem-

52. Exempla denique sacrae Scripturæ plurima conuincunt, Ecclesiæ nullo vñquāni tempore tām suisse puram, sanctam & immaculatam, vt ab omni impiorum consortio prorsus fuerit immunis & liberata.
53. Ut enim nihil nunc dicam de Ecclesia in amplitudine sua considerata, & magnam hominum multitudinem complexa, sed de eā tantum quā domestica fuit, vnius atque alterius Patriarchæ familiā contenta: an non Cainus Ecclesiæ omnium primam, quam vix quatuor representabant homines, horrendo suo fratricidio contaminauit et polluit?
54. An non in Ecclesia octo animarum post diluvium impius Cham fuit, ingēnaturpe ac probrosum commisit facinus? ob quod à parente maledictus, & ad sempiterna seruitia, posteritati fratribus præstanda, damnatus est.
55. Quām queso tristia scandala in domestica Patriarchæ Iacobi Ecclesia exorta sunt? Filii Iacobi omnes, flagitosi sūnt fratricidae in Iosepho innocentie: Ruben lectum patris polluit: Dina virginitatis florem amittit: Iudas denique cum nuru sua Thamar incœstam habet consuetudinem.
56. Ex quibus euidentes est, Ecclesiæ in his terris agentem non ex pījs tantum constare hominibus; sed cœtui sanctorum hypocritas quoque, infideles, omnisq; adeò pietatis expertes, immixtos esse.
57. Quin et Hæretici sunt in visibili Ecclesia, in eaq; dogmata sua falsa seminant; disseminataq; postea mordicūs tuentur ac defendunt.
58. Id quod partim ex antè citatis, partim ex sequentibus testimonij & exemplis manifestum est.
59. Nam ad Corinthios suos expressè scribit Apostolus, Oportere esse hæreses inter ipsos, vt qui recti sunt, probati fiant. 1. Cor. 11, 19.
60. Et cultores simulachrorum, alijsq; sceleribus coquinatos, professione tamen adhuc Christianos, dicit esse IN T V S, id est, in Ecclesia visibili; cùm Ethnicos ab eius communione prorsus excludat, et F O R I S esse scribat. 1 Cor. 5, 11 & 12.
61. Hinc Deus in Veteri etiam Testamēto populu Israeliticum, quamvis idololatricum & fictitijs cultibus deditum, dignatur nomine Ecclesiæ, & per Prophetas S V V M populum appellat: propter Circumcisionem videlicet, per quam in Ecclesiæ consortium recepti fuerant. Esa. 1, 4. & 3, 12. & 5, 13. Ierem. 2, 11 & 12. & alibi.

B

**Causa  
formalis.**

62. Quamobrem potuerunt superioribus quoque temporibus, Anti-christi satellites suum, in Ecclesia visibili, impietatis peragere negotium, ut tamen vera Ecclesiae membra non fuerint: Vanumque est totum illud Pontificiorum commentum, quo fingunt, Hæreticos esse ab Ecclesia visibili excisos nullumque in ea habere commercium.
63. Etsi enim Hæretici non sint de Ecclesia, sunt tamen in Ecclesia: quemadmodum simili loquendi modo Christus de Electis suis afferit, esse illos in mundo, non autem de mundo. Ioh. 17, 11 & 14.
64. CAE TER V M forma Ecclesiae seu Nota essentialis, qua electa Christi sponsa dignoscitur, Verbum Dei est, in Prophetarum et Apostolorum scriptis traditum: cui, tanquam sigilla, Sacra menta sunt addita: Baptismus videlicet & Cœna Domini.
65. Ita enim Christus de Verbo inquit: Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis; nec peribunt in æternū, neque rapiet eas quisquam ex manu mea, Ioh. 10, 27. Et iterum: qui ex Deo est, verbum Dei audit. Ioh. 8, 47.
66. Similiter D. Paulus cum ciues & domesticos Dei, hoc est viua Ecclesiae membra, describit, ait: Iam non estis hospites & incolæ, sed conciues Sanctorum, & domestici Dei, superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo. Ephes. 2, 19 & 20.
67. De Sacramentis vero testantur idem, Christus & Paulus. De Baptismo quidem inquit Christus ad discipulos, cum ipsis in uniuersum allegaret mundum: Euntes docete omnes gentes, baptisate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Matth. 28, 19. Marc. 16, 15. Et Paulus: Quotquot in Christū baptisati estis, Christum induistis. Gal. 3, 27. De S. Eucharistia vero præceptum Christi est ad electam suam Ecclesiam: Hoc facite in mei commemorationem. Luc. 22, 19. Et Paulus: Quoties panem hunc manduaueritis, & de calice hoc biberitis, mortem Domini annunciabis, donec veniat. 1. Cor. 11, 26.
68. Quanquam enim alij quoque fines sint Baptismi & Cœna Domini: (Nam illo à peccatorum sordibus abluiimur: hac vero fidem nostrā languidam alimus, confirmamus ac obsignamus) tamen præter hos usus, propterea etiam Sacra menta Christus instituit, ut ijs, tanquam Symbolis, cœtum suum ab infidelium colluie segregaret.

69. Quem-

69. - Quemadmodum Deus in Veteri etiam Testamento populum suum, prater verbum reuelatum, certis quibusdam tesseris à reliqua prophana multitudine distinxerat.
70. Nam in ipso statim Ecclesiae exordio, inter impiam Caini posteritatem, & veram Ecclesiam, promissionem de benedicto semine fide amplexam, illusore discrimen statuerat: mandando non tantum immolationem pecudum, verum etiam piorum sacrificia, igne cælitus demisso, accendendo & conflagrando.
71. Deinde post diluuium singulari quoque sigillo hereditatem ac peculium suum notauerat, Circumcisione videlicet, quā Abrahamo eiusq[ue] posteritati tanta severitate iniuxerat, ut eos ex populo suo excindi voluerit qui eam neglexissent. Gen. 17.
72. Per Moysen denique celebrationem Phase, ac totum Sacerdotium Leuiticum instituerat, varijsq[ue] ceremonijs populum suū à ceteris gentibus discreuerat.
73. Quamobrem Christus in Nouo etiam Testamento nō solū Verbo, sed etiam Sacramentis populum suum à malignantium Ecclesia sequestrare voluit.
74. Vnde colligitur ex eodem Verbo Dei & Sacramentis, vt pote quæ Ecclesiae formasunt, & à quibus Ecclesia suum nomen & definitionem habet, de ipsa quoque Ecclesia, quæ vera, quæ contrà falsa sit, rectum legitimumq[ue] fieri debere iudicium.
75. Quod contra Pontificios nostros obseruandum est, qui in probanda suæ Ecclesiae structura, iudicium Scripturæ Prophetice & Apostolice subterfugiunt, & disputationis ordine inuerso docent: De Ecclesia non ex Scriptura, sed ex ipsa Ecclesia iudicandum esse, cainq[ue] pro vera Christi Ecclesia habendam, quam Ecclesia, R O M A N A scilicet, talem esse pronunciet, & prætoria potestate dictitet.
76. Qua in re haud stultè sapiunt boni homines. Nam quia norunt perspectumq[ue] habent, se Ecclesiae suæ formam ex Scriptura contestatam reddere non posse; sed daminari in ea, & ad orcum relegari multiplices suos abusus, errores ac superstitiones idololatricas, ad lepidum hoc nequetyton confugiunt: De Ecclesia ex Ecclesia sumendum esse iudicium: in eoq[ue] tuto se latitare posse confidunt.
77. At Scriptura sacra ex latibulo hoc, in clarissimam lucem ipsos

producit, et si quidem Ecclesiæ suæ statū probare sat agant, ex indubitate  
symbolis electæ Christi Ecclesiæ, Verbo Dei scilicet & Sacramentis, fa-  
cere hoc iubet.

78. Nam per Esaiam ad Legem et ad Testimonium ipsos remittit: iuxta  
quod si non dixerint, non fore illis matutinam lucem afferit. Esaiæ 8, 20.  
per Lucam ad Moysen & Prophetas alegat. Luc. 16, 29. per ipsum  
Christum ad scrutandas Scripturas amandat. Ioh. 5, 39.

79. Adhac pronūciat, Verbum Dei esse semē ex quo nascatur, 1 Pet. 1, 29.  
1 Cor. 4, 15. fundamentū cui superstruatur, Ephes. 2, 20. lac quo nu-  
triatur, 1 Cor. 3, 2. cibum solidum quo corroboretur, Hebr. 5, 14. regu-  
lam denique ad quam conformetur Ecclesia. Psal. 19, 5. Galat. 6, 15.

80. Hæc cùm ita sint, & Ecclesia ex Scriptura Canone iudicari debe-  
at, illā veram esse Ecclesiam patet, quæ Notis, in hac Scriptura monstra-  
tis, insignis est.

81. Quare quæcunque Ecclesia verbum Dei purum & incorruptum  
retinet, atq; Sacra menta secundum institutionem Christi legitimè ad-  
ministrat, illa est sponsa Christi gloria, sancta & irreprehensibilis, non  
habens rugam aut maculam. Ephes. 5, 27.

82. Quiaverò Notæ hæc non semper in eodem statu sunt, sed interdum  
plus, interdum minus lucis habent, sicut vera etiam Ecclesia, pro diuer-  
sitate hac, interdum magis, interdum minus floreat.

83. Non enim Ecclesiæ omnibus temporibus eadem est claritas, &  
vnum idemq; splendor: sed quemadmodum Luna iam plena est, iam corni-  
culata; interdum magis, interdum minus splendet: ita etiam Ecclesia &  
incrementum & decrementum suum habet, & coruscantibus proprijs  
suis notis, ipsa quoq; coruscari: q; s verò propter peccata hominū, per tra-  
ditiones alias q; corruptelas obtenebratis, obscura quoque redditur, adcō  
vt quandoq; vix, ac ne vix quidem appareat.

84. Quo in statu nihilominus retinet nomen Ecclesiæ, & est Ecclesia:  
quamdiu scilicet aliquod Verbum, & aliquid de Sacramentis habet: li-  
cet pura, integra & incorrupta Ecclesia non sit.

85. Ineptiunt ergo Pontificij, quando concludunt: si non pari splendo-  
re semper luxerit Ecclesia, conséqui quād etiam non semper fuerit.

86. Sicut enim Luna est, & manet Luna, quamvis interdum cornicu-  
lata sit, & exiguo admodum splendoris radios de se emitat; ita Ecclesia  
quoq;

quoq; esse potest, etiam si non eadem semper claritate oculos aspectumq;  
hominum ferat: siquidem exterior forma sublata, non tollit naturam  
Ecclesiae.

87. Quod verò Ecclesiae etiam veræ non semper idem status, eademq;  
conditio sit, sed sè pè numerò valde dissimilis, id partim sacrarum litera-  
rum testimonij confirmari, partim verò ex perpetua omnium tempo-  
rum, in primis Noui Testamenti historia, planum reddi potest.

88. Nam in sacris literis Ecclesia quandoq; sub forma Filiæ regis intro-  
ducitur, quæ circumdata uestitu deaurato, & circumamicta varietati-  
bus regi suo astat, Psaln. 45: interdum spectanda proponitur sub forma  
Mulieris in tristis solitudine degentis, et ab indignatione Draconis in de-  
sertum profugientis, ibi q; delitescentis. Apocal. 12, 6 & 14.

89. Interdum cōfertur cum Vite frugifera, in loco irriguo plantata,  
cuius palmites in tātam excrescant magnitudinem, ut ex ijs sceptra re-  
gia fieri possint. Ezech. 19, 10 & 11. Mox Vineæ comparatur, apri &  
feris sylvestribus in direptionem datae. Esai. 5, 5. Ps. 80, 14.

90. Modò assimilatur Arbori ramos suos longissime explicanti: modò  
Arbori exarescenti, folia ac ramos amittenti, irūcum tamen retinenti.  
Esai 6, 13.

91. Iam verò si Ecclesiae omnium temporum, in primis verò Noui Te-  
stamenti cursum intueri, & penitus introspicere voluerimus, quatuor  
diuersissimas eius facies reperiemus, quarum semper una clarior & lu-  
cidior fuit altera.

92. Earum prima & clarissima tempore Apostolorum fuit, qui par-  
tim à Christo edocti, partim in die Pentecostes à Spiritu Sancto verita-  
tis cognitione illustrati, Euangely doctrinam puram atq; incorruptam  
in vniuerso mūdo annunciarūt, Colos. 1, 23. docētes omnes gētes, & ba-  
ptisantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Matth. 28, 19.  
Marc. 16, 15.

93. De huius Ecclesiae claritate Esaias vaticinatus est, cap. 2, 2. cùm  
inquit: Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Iehouæ in  
vertice montium, & alleuabit se præ collibus, confluentq; ad eum omnes  
gentes. Et cap. 60. pluribus verbis eius splendorem describit.

94. Quanquam verò Satan huius etiam Ecclesiae puritatē contami-  
nare ausus sit, per falsos doctores et pseudapostolos, qui vt ex 2. Thes. 2, 3.  
colligitur, Ecclesias ab Apostolis plantatas, fictitij Epistolis seducere co-

nati sunt : tamen molitiones istae Satane fortissimè repreßæ sunt per Apostolos, qui in specula Ecclesiæ quām diligentissimè excubarunt, modisq; omnibus præcauerunt, ne error aliquis præoccuparet Ecclesiam.

95. Extinctis verò his Ecclesiæ luminibus Apostolis, ipsa quog, Ecclesiæ primitiæ facies paulatim obumbrari cœpit, primamq; faciem clarissimam altera obscurior subsecuta est.

96. Patrum enim tempore, tametsi vera adhuc & Apostolica sonaret doctrina, humanis tamen Traditionibus ea aspersa & coinquinata est: quæ quidem bona intentione initio ex cogitatæ, post verò magis magis q; cumulatæ, in tristes tandem abusus deuenerunt, adeò vt ipsi Patres in ijs ingemuerint.

97. Namque D. Augustinus quodam in loco scribit : Se multa huiusmodi per nonnullarum vel sanctorum, vel turbulentarum personarum scandala deuit anda, liberius improbare non audere: sed hoc nimis dole re, quod multa quæ in diuinis libris saluberrimè præcepta sunt, minus currentur, & tām multis præsumptionibus plena sint omnia. Epist. 119.

98. Tertia Ecclesiæ facies, & quidem miserrima ac tristissima, superioribus fuit temporibus, sub pleno Romani Antichristi dominatu, sub quo omnis generis errores ac superstitiones Ecclesiam inundarunt, & cœu diluuium quoddam oppresserunt.

99. Etenim cum ante à Satan fundamenta saltem mysterij iniquitatis iecisset, illud nunc omnibus numeris absoluit: errores leuiter prius sparsos, magna accessione locupletauit & cumulauit: Ecclesiæq; faciem tanta obduxit caligine, vt raros admodum & propè nullos splendoris radios de se sparserit.

100. Hanc verò tristem Ecclesiæ faciem clarissimè prædixerunt Christus & Apostoli, adeò vt nisi tām perspicua de ea extarent vaticinia, dubitare meritò quis posset, Vtrum etiam possibile fuerit, Ecclesiam superiorum temporum in tām profundam errorum voraginem demergi, tantisq; inuolui tenebris, potuisse.

101. Christus quippe Seruator de illa vaticinā ait: Surrecturos pseu doprophetas & pseudochristos multos, qui daturi sint signa & prodigia magna ita vt in errorem inducantur ( si fieri posset ) etiam Electi. Monuit item, videamus ne quis nos seducat. Multos enim venturos in nomine suo, dicentes: Ego sum Christus, & seducturos multos. Hisq; subie cit, fore

iecit, fore tunc afflictionem tantam, qualis non fuerit ab initio mundi,  
nec post euentura sit, Matth. 24. ita ut filius hominis in aduentu suo vix  
fidem reperturus sit. Luc. 18, 8.

102. Et Paulus horribiles tenebras sub Antichristi regno exorituras  
simili euidentia prædixit, cum scripsit: Illum peccati & perditionis si-  
lum Antichristum ad gubernacula templi Ecclesiæq; Dei sessurum, seq;  
supra omne quod Deus aut numen dicitur elaturum, & omnino pro Deo  
se gesturum, 2 Thes. 2, 4. suaq; doctrina falsa, prohibitione coniugij  
alysq; falsis dogmatibus longè latèque dominaturum esse. 1 Tim. 4, 1.  
& deinceps.

103. Eandem quoque apostasiam à fide in Spiritu Iohannes præuidit,  
scribens: Babyloniam ciuitatem illam magnam (sub qua Romanam Ec-  
clesiam intelligit) de vino iræ fornicationis suæ inebriatricū omnes gen-  
tes. Apocal. 14, 8. corrupturam terram prostitutione sui, Apoc. 19, 2.  
cum ea scortaturos reges terræ, Apocal. 17, 2. & 18, 3. atque in vene-  
ficijs eius erraturas omnes gentes. Apoc. 18, 23.

104. Hæc itaque vaticinia, cum superioribus temporibus in Papam  
euentum suū consecuta sint, patet quām luctuosa, tristis & misera tūm  
fuerit Ecclesiæ facies.

105. Interim verò Deus in hoc quamvis corrupto & deplorato statu  
Ecclesiæ, sanctum suum semen sanctasq; reliquias habuit, in quibus pro-  
missiones suas adimpleuit, & quas in Cimmerijs istis tenebris conserua-  
uit, ne finaliter in erroribus fundamentum subuertentibus persisterent.  
Qua de re supra Thesi 21 & seq. fusi actum est.

106. Quare neutquam existimandum est, Spiritum sanctum, per il-  
lud tempus quo durauit hæc Ecclesiæ facies, suauissimum dormiuisse so-  
nnium, aut suo officio, in regendo Ecclesiæ cœtu, minus perfunctum es-  
se, vt impie noui Patroni Synagogæ Romanæ nobis obiectant.

107. Quin imò in illa inundatione errorum, inq; fluctibus illis et tem-  
pestatibus Ecclesiæ, vigilauit maxime, suaq; officio cū primis satisfecit,  
conseruando sibi centum quadraginta quatuor millia electorum, quæ  
Apostolo Iohanni in Apocalypsi monstrata sunt. Apoc. 14. cap.

108. Tertiam verò Ecclesiæ facie, de qua hactenus, exceptit quarta &  
postrema, in qua hodiè, operâ et ministerio beatæ memoriae patris, D. D.  
Martini Lutheri, homo peccati et filius perditionis reuelatus et Spiritus

oris Domini in multorum cordibus confessus, puraq; Euangeliæ doctrina, pulsis Papatus tenebris, in Ecclesiam postliminio reducta est.

109. Hanc iucundissimam Ecclesiæ faciem, Apostolico nitoris restitutam, & quam proximè ad primam accendentem, evidenter sacra Scriptura prædicta.

110. Christus enim in superius allegato vaticinio Math. 24. cap. postquam de miseranda seductione & errorum caligine, primæ Ecclesiæ splendorem subsecuturā, dixerat, subiecit: propter Electos dies illos fore decurtandos: item, Euangelium prædicatum iri in uniuersō mundo: Et Aduētum suum per Euāgelium fore instar fulguris excentis ab oriente, & resurgentis in occidentem.

111. Sic Apostolus Paulus perspicuè etiam hanc Ecclesiæ faciem notauit, quando Antichristum reuelandum, Spiritu oris Domini interficiendum, & aduentu eius planè destruendum esse scripsit. 2. Thes. 2,8.

112. Similiter Iohanni Angelus monstratus est, habens Euangelium æternū, & prædicans habitibus super terram, & omni genti, & tribui, & lingua & populo, dicens magna voce: Timete Deum & date illi honorem, quia venit hora iudicij eius: & adorate eum qui fecit cœlum & terram & mare & fontes aquarum. Quem aliis angelis subsecutus est, dicens: Cecidit, cecidit Babylon ciuitas illa magna, quia à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes gentes. Apoc. 14. vers. 7. & 8.

113. Quemadmodum vero Satanas primam Ecclesiæ faciem per multos Pseudapostolos obscurare attentauit: ita non minus contra quartam hanc faciem omnes astutiæ suæ machinas dirigit, & vario molimine eam aggreditur.

114. Hinc nouas subinde hæreses excitat: Ecclesiæ corpus in varias & discrepantes partes diuellit: pulcherrimam eius faciem in tetricas & monstrofissimas Schismatum figuræ transformat, nihilq; non tentat, ut prorsus eam obscuret & obnubilet.

115. Sed conseruabit Deus gregem pusillum, qui ipsum iuxta præscriptum verbi piè colat: Sacramenta dignè usurpet: fiducia firma Filii eius Iesu Christo adhæreat: & tandem per ac propter ipsum cœlestis hæreditatis fiat particeps.

116. Ex his vero quæ huc usq; de diuersis Ecclesiæ formis ac faciebus diximus, facili negotio retundi potest Aiacis ille clypeus, quem sexcenties nobis

nobis hactenus obiecerunt iij, qui à vera Ecclesia secessione facta, Ecclesia  
Romanae labanti & ruinam minitanti, nouo patrocinio succurrere sata-  
gunt: NON POSSE NOS per quindecim sacula monstrare ullum  
Catholicum, hæreticum, infantem, puerum, iuuenem, senem, virum, fæ-  
minam, eunuchum, hermaphroditum: villam villam, domum, casam,  
solitudinem, quæ senserit & crediderit, quod sentit & credit Lutherus &  
Lutherani. Ac proinde nouam esse ipsorum doctrinam antè annos ali-  
quot in cerebro Lutheri natam.

117. Etenim cùm hactenus partim ex euidentibus S. literarum  
testimonij, partim ex Ecclesiæ Noui Testamenti cursu, itidē ex Scriptu-  
ra comprobato, sole meridiano clarius ostenderimus: Ecclesiam non om-  
nibus temporibus pari luce & claritate fulgere, sed tempore primū  
Apostolorum coruscasse lucidissimè: Patrum deinde sæculo fulsisse obscu-  
rius propter inualescentes Traditiones hominum: Tum sub Antichristo  
Romano lumen ferè prorsus amississe: Nostrâ deniq; memoria ex singu-  
lari Dei benignitate atq; clementia nitorem Apostolicum recepisse: Quis  
non videt quam elumbe hoc sit argumentum, quamq; impudens Pontifi-  
ciorum postulatum, petere à nobis Ecclesiam ex antegressis nostræ con-  
formem, cum illæ ipse Ecclesiæ difformes inter se fuerint?

118. Sufficiat nobis, demonstrare nos Dei beneficio posse, nostram  
Ecclesiam in omnibus & singulis doctrina partibus conformem esse primi-  
tiua Apostolice Ecclesiæ, eamq; vicissim similem fuisse nostræ.

119. Extructi namq; sumus super Prophetarum & Apostolorum  
fundamentum, Ephes. 2, 20, non alligati ad ullius posterioris Ecclesiæ vi-  
sibilis conformitatem atq; consenjum. Sola Apostolorum Ecclesia mater  
est omnium subsequentium, & canon ad quem dirigi, mensura ad quam  
applicari, statera ad quam appendi, in sequentes debent Ecclesiæ.

120. Ex hac ergò primitiua Apostolorum Ecclesia consensum cum  
nostra monstrabimus, ex hac conformitatem in omnibus nostræ Cōfessio-  
nis articulis ostendemus: faciant idem, si videtur commodum, Pontificij.

121. Sed in hac Rhodo saltare: hic pedem figere tutum non iudi-  
cant: quia nimirum norunt, propriâ conuicti conscientiâ, se Ecclesiæ  
sue Pontificiæ structurâ, qualis ea hodie est, & superioribus sæculis fuit,  
ex Apostolorum primitiua Ecclesia cōtestatam reddere neutiquam posse,  
tantumq; inter utramq; discriminem esse, quantum est inter lucem & te-  
nebras, integrum & corruptum, veritatem atq; mendacium.

C 122. Ideoq;

122. Ideòq; posteriorum Ecclesiarum conformitatem vrgent: Pa-  
tres crepant; & ex illorum monumentis testimoniorum centurias  
contra nos coaceruant, atq; singulis suis paginis illinunt.

123. Tametsi verò nos Patrum & puriorum Ecclesie Doctorum  
authoritatem non refugimus, consensum quoq; nostrum, in præcipuis do-  
ctrinae Christianæ partibus demonstrare liquido possumus: tamen quia  
constat, Patrum tempore veritatis cœlestis doctrinam humanis Tradi-  
tionibus confusurari & contaminari cepisse: quia illud quoq; notum est,  
Patres nœuos & errores suos habuisse, & non tantum inter se non  
consentire, sed sibi ipsis interdum non constare, & discrepantes quan-  
dōq; sententias suis scriptis immiscere: ideo iure merito, ab hac Patrum  
Ecclesia, prouocamus ad primæuam Apostolicam, virginem purissimam,  
& sponsam Christi dilectissimam, & ex illa conformitatē & similitu-  
dinem Confessionis nostræ ostendimus.

124. Simul atq; à Pontificijs flagitamus, vt relicto præsidio, quod in  
Patribus sese collocatum habere frustrâ opinantur, ad sacram Scriptu-  
ram (quæ aliâs sudes ipsis est in oculis) pedem suum referant: ex indubi-  
tatis Apostolorum scriptis demonstrent, se veram habere Ecclesiam: atq;  
doceat, idem sensisse Apostolos, partim de fidei dogmatibus, partim de ac-  
cidetalibus ceremonijs ac ritibus, quod sensit ac creditit hactenus Roma-  
nana Ecclesia,

125. Quod si fecerint, & ex eodem fundamento, quo nos, Scripturæ  
videlicet Canone, Ecclesiæ sue statum probauerint, facile inter nos conue-  
niat, Vtra pars verè, & vtra falso nomen Ecclesiæ sibi vendicet & at-  
tribuat.

Causa  
finalis.

126. Finalis Ecclesiæ causa, verus cultus & gloria Dei est.

127. Propterea enim Ecclesia ex hominum genere à Deo collecta:  
propterea Christi precioso sanguine redempta: & à Spiritu sancto san-  
ctificata est, vt hunc unum Deum in essentia, & in personis trinum, par-  
tim in hoc mundo, secundum verbi diuini normam, verè colat & celebret:  
partim vero in altero saeculo in æternum laudet atq; glorificet.

128. Innuit hoc ipse Dominus apud Ieremiam, inquiens: Sicut ad-  
haret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Is-  
rael,

rael, & omnem domum Iuda, ut essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam. Ierem. 13, 11. Et apud Esaiam ait: Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit. Esai. 43, 21.

129. Attributa Ecclesiae quatuor recensentur in Symbolo: Credo Adiun.  
VNA M; SANTAM; CATHOLICAM; & APOSTOLICAM et al.  
ECCLESIAM.

130. Hæc à Pontificijs inter Ecclesiae Signa seu Notas numerantur, sed perperā: cum Notæ dignoscendæ Visibilis Ecclesia, esse quoq; Visibles debeant, ut oculis cerni & sensibus externis comprehendendi possint.

131. Siue vero Attributa, siue Signa illa appellemus, Ecclesia certè Pontificia non competit, quod in progressu demonstrabimus.

132. Ad primum Attributum quod attinet, Vnam esse Ecclesiam confirmant passim sacra literæ. Cant. 6, 8. Vna est columba; Iohan. 10, 16, Vnum ouile; Rom. 12, 5. & Ephes. 4, 4, Vnum corpus in Christo.

133. Dicitur autem Ecclesia VNA, non propter membrorum coniunctionem cum suo capite, Romano scilicet Pontifice, cuius iudicio in fidei controuersiis illa acquiescit, ut somniant Pontificij. Hanc enim Unitatem Ecclesia Christi ex Verbo Dei ignorat, quod in controuersiis alio nos remittit. Esai. 8, 20. Luc. 16, 29. Ioh. 5, 39.

134. Sed Ecclesia dicitur VNA, quia in veritate sanctificata in Dominovnum est, ut Seruator inquit Ioh. 17, 17, & 21: Sanctifica eos in veritate tua, ut omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis vnum sint.

135. Veritas igitur, siue sermo Dei VNITATIS Ecclesiae mensura est, ad quam collimare singula illius membra debent, ut etiam Apostolus docet, Gal. 6, 16. Quotquot hunc Canonem (Prophetica & Apostolica Scripturae) secuti fuerint, super illos pax sit (siue Unitas) & misericordia.

136. Proinde Attributum hoc, nec propter dissensiones nostris Ecclesiis detrahi: nec propter falsò nominatum consensum accommodari Synagogæ Pontificia potest.

137. Nam ad dissensiones nostras quod attinet, ex nobis quidem prodierunt ij, qui eas excitarunt: sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permanissent utiq; nobiscum, ut Iohannes Apostolus loquitur, 1. Epistola 2, 19.

138. Mirum autem non est, ex vera etiam Ecclesia prodire Schismaticos & Hæreticos: cum idem Apostolorum quoq; Ecclesiae acciderit, ex qua

Simoniani, Nicolaitæ, similiaq; Hereticorū mōstra sūt orta: & solēne hoc  
sit diabolo, vt vbi bonum semen seminari videt, superseminet Zizania.

139. Deinde ad Pontificiorum consensum quod spectat, de quo tan-  
topere gloriāntur, non vera ille est VNITAS, sed conspiratio potius, qua  
regnum suum firmavit hactenus Antichristus, alias non tanto tem-  
pore duraturum: quemadmodum diaboli quoq; mutua concordia regnū  
suum stabilīunt, quod alias perenne non foret, si Satanas Satanam op-  
pugnaret & expelleret. Matth. 12,25 & 26.

140. Quid quod re altius considerata, ne quidem est apud Ponti-  
ficios consensus. Nam si ad caput Romanae Ecclesiae oculos conuertere vo-  
luerimus, illud vniiforme, semperq; sibi constans non est. Iam enim Eccle-  
siæ gubernacula tenuit Papa Christianus: successit mox Arianus: mox  
Sadducæus aut Epicuræus: imò magus, qui Christiana fide prorsus abiu-  
rata, se Satanæ deuouit: interdum præsedit monachus cucullatus: quan-  
dog; miles armatus sedem inuasit.

141. Ad membra deinde si respexerimus, ad Sacrificulos quidem &  
Monachos, tot fere sunt illorū profesiones & ordines, quot monasteria:  
qui quidem omnes in summo conspirant capite, Romano Pontifice, sed in-  
ter se multis ac varijs modis discrepant.

142. Tūm Laicos si considerauerimus, vicissim ipsi inter se dissident:  
nonnullis per horū, quibusdam per aliorum ordinum preces, & superero-  
gationis opera cœlum concendere cupientibus.

143. Quod si deniq; ipsa Synagogæ Romanæ dogmata scrutati fue-  
rimus, quanta quoq; hic sese offert disformitas, quanta dissimilitudo,  
quanta discrepancia?

144. Non persecuar nunc, quod præcipui nominis Doctor Pontifi-  
cius scribere non erubuit: Scripturas esse ad tempus adaptatas & varie  
intellectas, ita ut uno tempore secundum currentem vniuersalem ritum  
Ecclesiæ exponantur, mutato ritu iterum sententia mutetur. Nicolaus  
Cusanus Epistola 2. ad Bohemos.

145. Nec Thesium & Disputationis huius fert ratio, vt speciatim  
percésem quibus in articulis discreparint ac dissenserint, non modo pri-  
sci Doctores, Thomas, Scotus, et reliqua Scholasticorum turba: sed ij etiā,  
qui hoc nostro sæculo præcipua Romanæ Ecclesiæ lumina haberi volunt, A  
nostrarum Ecclesiarum Doctoribus factum hoc est alibi.

146. Quod

146. Quod si verò maximè in capite Romana Ecclesia esset unitas; quod si in membris congruentia in dogmatibus harmonia: non tamen hæc quidquam ficeret ad primam hanc Ecclesie proprietatem obtinendam.

147. Quandoquidem non omnis Unitas grata accepta q̄ Deo est, sed et tantum, ut diximus, qua in verbo suo Ecclesie membra vnum sunt. Alias enim & Iudei in sua religione vnum sunt: & inter Turcas vix audiuntur ortæ controværsiae: quæ tamen unitas veram Ecclesiam ipsos non efficit.

148. Alterū Ecclesiæ attributū est, quod illa SANCTA dicitur: idq; nō propterea tātū, q̄ fide purgata, pietati et vita sanctimoniac studet, atq; ab omni peccandi proposito aliena est: sed ob id cumprimis, quod sancta in conspectu Dei existit, imputatā illi sanctissimā Christi obedientiā, per quam gratia peccatorum veniam impetrat.

149. Christus enim à Deo factus est Ecclesiæ sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. 1. Cor. 1, 29.

150. De hac sanctitate Paulus loquitur ad Ephes. 5, 25. & deinceps: Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & semet ipsum exposuit pro ea, ut illa sanctificaret, mundatam lauacro aquæ per verbū, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quidquam eiusmodi, sed vt esset sancta & irreprehensibilis.

151. Quocirca minus recte Pontificij Ecclesiam dici Sanctam arbitrantur, quia in fidei dogmatibus hallucinari non possit, & ab omnibus erroribus libera sit.

152. Nam sicut Ecclesia sanctitas non obstat, quo minus ea in conversatione ac vita peccet: (siquidem iustus etiam in die cadit septies. Proverb. 24, 17.) ita nec hæc sanctitas ab errorum infirmitatibus in doctrina, illa eximit.

153. Est enim non perfecta Sanctitas, qualis in altera vita futura est, vbi Ecclesia non solum ab errorum, sed etiam peccatorum maculis mundata erit: sed est partim imputata sanctitas obedientiæ Christi, ut dictum est: partim verò inchoata, multis adhuc infirmitatibus, cùm prauæ concupiscentiæ in voluntate, tūm erroris in mente obnoxia.

154. Potest itaq; errare vera etiam Ecclesia, ita tamen vt salutis

fundamentum nō concutiat, aut si in tali erret Articulo, qui salutis pal-  
mam interuertat, in eo tamen finaliter non permaneat, sed siquidem ve-  
ra esse velit Ecclesia, admonita resipiscat & errorem abiciat.

155. Patet hoc cùm ex sacrarum literarum testimonij luce meridia-  
na clarioribus: tūm exemplis Ecclesiarum maximè illustrium.

156. Etenim si Ecclesia errare non posset, quorsum tenderent anxie  
illæ & solicitæ præmonitiones Christi eiusq; apostolorū ad Ecclesiam? vt  
sibi à pseudoprophetis caueat, Matth. 7, 15. videat ne quis ipsam se-  
ducat, Matth. 24, 5. ne credat omni Spiritui, sed probet Spiritus an ex  
Deo sint, 1, Ioh. 4, 1. ne citò moueatur à sensu, neque terreatur neq; per  
Spiritum, neque per sermonem, neque per Epistolam tanquam ab  
Apostolis missam: néue seduci se patiatur vlo modo, 2, Thess. 2, 2. at-  
tendat denique ne quis eam decipiatur per Philosophiam. Coloss. 2, 8.

157. Quid D. Paulo metum incusisset: quid anxiam pro Corinthijs  
solicitudinem extorisset, si ab erroribus immunis esset Ecclesia? Nam  
2 Cor. 11, 3, scribit: Metuo ne quā fiat, vt quemadmodum serpens Euam  
decepit versutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à sim-  
plicitate quæ est in Christo Iesu,

158. An non idē Apostolus speciatim de Romana affirmat Ecclesia, quod  
impingere in doctrina, & de vera olea populi Dei excindi possit? cum sic  
eam alloquitur: Dicis fræti sunt rami vt ego insererer. Benè dicas, pro-  
pter incredulitatem fræti sunt: tu autem fide stas. Ne efferaris animo  
sed timeas. Nā si Deus naturalibus ramis nō pepercit, vide ne quā fiat, vt  
nec tibi parcat. Quoniam & tu excindérис, & illi rursum inserentur, si  
in incredulitate non permanerint. Rom. 11, 19 & deinceps.

159. Iam exempla Ecclesiarum, quæ in doctrina & fide hallucinatæ  
sunt, qui desiderat, habet us in sacris literis quamplurima obvia.

160. Primordialis protoplastarū Ecclesia, nō solum post lapsum suum  
tristissimum, verum etiam in integritatis & summa perfectionis statu  
decepta est miserrime.

161. Ecclesia Patriarcharum post diluvium, tametsi familijs solum-  
modo concluderetur, idolatria tamē polluta atq; coinquinata est. Col-  
ligitur hoc cùm ex verbis Iosuæ, quibus populo Israelitico paulo ante obi-  
tum valedixit, Ios. 24, 2, tūm ex Patriarchæ Iacobi historia, qui in do-  
mestica sua Ecclesia reformationem instituisse legitur, defossis idolis ad  
se per-

- se perlatis subter Terebinthum propè Sichem. Genes. 35, 2 & seqq.
162. Mosis & Aaronis tempore vitulum aureum Ecclesia adorauit, ei altare extruxit, atq; holocausta & hostias, gratitudinis ergo, obtulit. Exod. 32, v. 4. 5. 6.
163. Quid populus Dei tēpore Iosuæ & Iudicū fecerit, quamq; abominandam idolatriam exercuerit, ex libris Iudicum constat. Ideoq; ob hanc defectionem sepius in manus hostium traditus, rursumq; cum resipuit per iudices liberatus esse scribitur. Iudic. 2. 3. 4. 6. 10. 13. 17. capitib.
164. Sub Regibus quoq; et ante & post Regni diuisionem, multipli-  
ces errores praeoccuparunt Ecclesiam. Etenim sub Saule arca Domini ne-  
gligentius custodita est, 1 Par. 13, 3. Sub Salomone propter alienigena-  
rum amores & connubia idolomania irrepit, 3. Reg. 11. Hacq; postea in  
Israele sub Regibus decē tribuum ex aequo omnibus: & in Regno Iuda sub  
Ioramō & Ahazi, publicè exercita est. 4. Reg. 3. & 16. cap.
165. Vnde irritatus Dominus, utriusque Regni tribus in captiuitatem  
Babyloniam abduci permisit, in qua, propter cohabitationem gentium,  
plurimos etiā errores, & aut ē suae religionis corruptelas contraxerunt.
166. Nec post captiuitatem Ecclesiæ Iudaicæ status correctus, aut in  
melius mutatus est. Antiquum enim obtinentes Iudei, semper à doctri-  
nā puritate, quam Aggæus & Zaccharias Prophetæ restaurauerant, ad  
idololatricos cultus deflexerunt.
167. Subsequentibus temporibus usque ad Christum, Traditiones hu-  
manas cumularūt: quas progressu tēporis sub titulo cōstitutionū Senio-  
rum venditarunt & pertinaciter defendenterunt, Verbo Dei interim ne-  
glecto & contempto.
168. Par fuit Ecclesiæ temporibus Christi conditio: ad cuius gubernati-  
cula sederunt caci cœorum duces, Matth. 15, 14: qui Templum Dei in  
latronum speluncam conuerterunt, Matth. 21, 13: & regnum cœlorum  
clauserunt ante homines. Matth. 23, 13.
169. Non melior fors fuit Ecclesiarum, Apostolorū ministerio plan-  
tatarum, quæ similiter non caruerunt errorum rugis ac maculis.
170. Ecclesia quippe Corinthiorum errauit circa resurrectionis arti-  
culum. Galatarum Ecclesia in legis & euangelij discriminem impegit, &  
tam Circumcisionem quam fidem in Christum requiri, errorum fascino  
dementata, credidit. Galat. 3.

171. Idem celeberrimis Orientis Ecclesiis, Ierosolymitanæ, Antiochenæ, Asiatica, & alijs accidit, quas magna ex parte Mahumetica occupauit blasphemia.

172. Ex quibus apparet, quæm impudens Pontificiorum sit arrogancia, qua Ecclesia suæ Romana plus dignitatis & eminentiæ tribuunt, quæm enumeratæ omnes habuerunt Ecclesiæ, clamantes sine fine: Impossible esse, ut à fide deficiat, & in religione aberret Romana Ecclesia.

173. Quorum impudentiæ corollarij loco Apostoli Pauli ratiocinatione opponimus Rom. ii. capite, eamq; ad iudeos in hoc pacto accommodamus: Si Iudaorū Ecclesia errare, immo plane à fide deficere et excindi è populo Dei potuit, poterit multò magis Ecclesia Romana. At prius verum. Verum igitur & posterius. Ratio consequentiæ hæc est: quia Iudaica Ecclesia ex ramis naturalibus constitit: Romana vero ex oleastris aduentitijs, & præter naturam insitis, constat.

174. Tertia Ecclesiæ proprietas, in recepto Symbolo ei attributa, est, quod dicitur CATHOLICA. De qua voce cum primis gaudent & exultant Pontificij, eamq; nulli alijs Ecclesiæ, quæm suæ Romanae competere, fortissima imaginatione persuasum habent.

175. Hinc se Catholicos & Catholicissimos appellant: nos contrà Hereticos calumniantur: quasi titulus Catholici a nostris Ecclesiis prorsus alienus fit.

176. Utq; hoc obtineant, nouam vocabulo significationem affingunt, asserentes, propterea Ecclesiam dici Catholicam, quia per yniuersum terrarum orbem longè lateq; visibiliter diffusa, & omnium populorum nationum consensu munita sit.

177. Præterquæ autem quod hæc interpretatio falsa est, vt iam ostendemus, ne quidem Pontificij hac ratione Catholici dici appellari q; possunt. Quandoquidem Asia, Græcia, Aegyptus, Syria, aliaq; regna populosisima, licet Christianismum olim professa sint, nunquam tamē Papam pro Ecclesiæ capite agnouerunt: & hodiè Tyranno Turcico subiecta, multò minus agnoscent.

178. Ut nihil nunc dicam de amplissimis Germaniæ Ecclesiis, quæ iugum Antichristi Romani dudu' excusserunt, eius societatem respuerunt, atq; ex Synagoga illius exiuerunt.

179. Quod vero ad Catholica Ecclesiæ essentiam non necessariò re-

qui-

quiratur populorum omnium assensus, & amplitudo per quaevis orbis terrarum loca se diffundens, hinc perspicitur, quod ea haud raro ad ingentem paucitatem, raritatemq; contrahitur.

180. Id quod & exempla Ecclesiarum temporibus Noë, Patriarcharum, Eliæ, Ieremiæ, nascentis Christi declarant: & S. Scripturæ testimonia omni exceptione maiora confirmant.

181. Ut quando Seruator illam gregem pusillum nominat, Luc. 12, 32. Quando monet ut per arctam portam introeat, quoniam lata sit porta, et spatiovia quæ dicit ad perditionem, & multi sint qui ingrediantur per illam: è contra angusta porta & arcta via, quæ dicit ad vitam, & pauci qui eam inueniant. Matth. 7, 13. Quando item vaticinatur de horribilibus tenebris, sub Antichristi regno exorituris, & seductione prope vniuersali omnium gentium, quorum vaticiniorum testimonia suprà Thesi 101. & seq. allegata sunt.

182. Accedit his quod si Catholica Ecclesia ex loci amplitudine & sectarum multitudine aestimanda esset, nullo cœtui verius cōpeteret quam hominibus Epicuræis, gastrolatris, empæctis, omnis pietatis & honestatis contemptoribus, similibusq; hominum monstris, quorum hinc inde in uniuerso mundo numerosa tribus est.

183. Quin & tempore grassantis Arianismi, & totam propemodum Ecclesiam inuidentis, ipsi quoq; Ariani de Catholicæ Ecclesiæ præconio gloriari potuissent: & possent hodiè non minus Mahometani, quam Pontificij gaudere Catholicorum titulo, vt pote quorum blasphema religio totius penè Orientis regna occupauit.

184. Ex quibus luce meridiana clarius perspicitur, quam insulsa & inepta sit Pontificiorum vocabuli CATHOLICI interpretatio. Quapropter de vera eius significatione nobis dispiciendum est, & quare hoc Attributum Ecclesiæ additum sit, videndum.

185. Huius autem rei præcipua causa est, quod doctrina, quam vera Ecclesia amplectitur ac profitetur, Catholica est, quippe vnanimi calculo & concordis suffragio, omnium Prophetarum & Apostolorum, aliorumq; diuinitus illuminatorum hominum, comprobata & contestata.

186. Itaq; quicunq; cœtus credit ea quæ Prophetæ & Apostoli tradiderunt, & scripto reliquerunt, atq; ab ijs nec ad dextram deflectit, nec ad sinistram inclinat, is Catholica est Ecclesia, vbiq; terrarum ver-

D. setur,

setur, & cuiuscunq<sup>z</sup> conditionis sit, siue paucorum siue multorum homi-  
num applausum habeat.

187. Hinc Paulus Galat. 6, 15 ait: Quotquot secundum hunc Ca-  
nonem (Prophetica & Apostolica Scriptura) ambulant, pax super illos &  
misericordia. Quod perinde est ac si dixisset Paulus: Illi Catholica sunt  
Ecclesia, qui credunt & profitentur ea, quae in Canonica Scriptura  
credenda nobis relicta & mandata sunt.

188. Hac ratione Ecclesia iam inde ab initio mundi, per aliquot sæ-  
culorū decursus, ad hæc nostra vsg<sub>z</sub> tempora semper fuit Catholica, quia  
videlicet doctrinam Catholicam, sacris oraculis comprehensam & cun-  
ctis fidelibus communem, de Deo, & Filio eius Iesu Christo, illiusq<sub>z</sub> officio  
& beneficijs, tenuit, licet sapissimè ad miram raritatem contracta sit.

189. Sic cum tempore Noe Ecclesia in arca concluderetur: tempore Pa-  
triarcharum domestica esset: tempore Eliæ unico constare homine videre-  
tur: tempore Ieremia ex paucijs colligeretur fidelibus: tempore na-  
scientis Christi per Simeonem, Pastores, Iosephum, Mariam, Zacchariam,  
Elisabetham, Annam Prophetam & paucos alios representaretur, Ec-  
clesia fuit Catholica.

190. Sic etiā circa finē mundi erit & manebit Catholica, quamuis Ele-  
ctorū numerus ad insignē paucitatē redigendus sit, ut ipse Salvator vati-  
cinetur, se in glorioso aduentu suo vix fidē in terra reperturū esse Luc. 18, 8.

191. Dicitur deinde Ecclesia propterea Catholica & Vniuersalis, quia  
ambitus suo cunctas particulares Ecclesias, omniaq<sub>z</sub> & singula illarum  
viuamēbra complectitur, & mater quasi est Ecclesiarum particulariū.

192. Quæcum ita sint, concludimus, neutrō modo Ecclesiam Roma-  
nam Catholicam dici posse, licet Romanenses maximè de hoc Attributo  
gloriantur: creberrime illud in ore & calamo habeant: ad nauicam vsg<sub>z</sub>  
ingeminent: hominumq<sub>z</sub> aures & mentes eo impleant.

193. Nam ad priorem rationem quod attinet, ob quam Ecclesia  
Christi dici meretur CATHOLICA, Romana Ecclesia non profitetur eā  
doctrinam, quam Spiritus sancti amanuenses, Prophetæ scilicet & Apo-  
stoli scripto comprehensam nobis reliquerunt: sed eā varijs modis adulte-  
rat atq<sub>z</sub> deprauat, fictitijs superadditis Traditionibus, & hominum ad-  
iunctionibus, cum expresso Dei verbo pugnantibus: quod in singulis  
Articulis, inter nostram & ipsorum Ecclesiam hoc tempor controuersis,  
ad oculum monstrare parati sumus.

194. Deinde nec posteriori modo Ecclesia Romana Catholica est, quem-

admodum nec vñquam fuit. Nam Apostolorum etiam temporibus, cum Virgo adhuc esset, nec alium sponsum præter Christum agnosceret, particularis tantum fuit Ecclesia, & non Catholica Ecclesia mater, ut nungantur Pontificij, sed eiusdem filia. Habuit enim ante se Ecclesiæ celeberrimas, ierosolymitanam & Antiochenam, quibus æquiori titulo illa dignitas ascribi potuisset.

195. Hodiè vero, præter sponsum Christū, filiū perditionis amplexata, & ex pura Virgine illud scortū factū, quod Apostolus Iohannes depinxit Apocal. 17. cap. multò minus dici meretur Vniuersalis & Catholica.

196. Nam Ecclesia Catholica tam latè sese porrigit, quam latè se diffundit legitimè Baptizatorū cœtus: & ubi cōsunt, qui Baptismū, substantiæ suæ ratione, integrū perceperūt, ibi est aliqua Ecclesia Catholica.

197. Baptismus enim lauacrum est regenerationis & renouationis Spiritus sancti, Tit. 3, 5: per quod Deus sanctificat & mundat homines, Ephes. 5, 26: & salutis æternæ participes facit, Tit. 3, 5: & qui baptizantur, illi Christum induunt, Gal. 3, 27.

198. Iam vero extra Ecclesiam nemo regeneratur & renouatur: nemo sanctificatur & mundatur: nemo saluatur: nemo Christum induit: quod per typum arcæ D. Petrus ostendere voluit, 1. Epistola 3, 21.

199. Quare cōsequitur intra muros Catholicæ Ecclesiæ omnes eos contineri, qui in nomine Sacrosanctæ Trinitatis legitimè baptisati sunt.

200. Non autē in Romana tantū Ecclesia Baptismus integer administratur: sed oī in Græcorū quoq; Ecclesia legitimè baptisatorū cœtus fuit, & hodiè in nostris est Ecclesiæ: q; ipsi Romanenses non inficiantur. Alias enim apostatas nostros, ad ipsorum castra perfidè transmigrantes, ex equo omnes rebaptisarent: quod tamē hactenus nō fecerunt (lesuitis quibusdam exceptis, qui annis superioribus in Belgio, eos, qui à nostris Ecclesiæ ad ipsos defecerant, de novo baptisarunt.)

201. Quapropter Ecclesiæ Catholicae amplitudo se multò extendit latius, quam Romana Ecclesia, ita vt licet Ecclesia Romana vera esset Ecclesia (quod, quandiu sacris literis sua constabit certitudo, non probabunt Pontificij) tamē hoc respectu Catholicæ dici nō mereretur, sed particularis solum esset Ecclesia, sub Vniuersali & Catholica comprehensa.

202. Quartū & postremū Ecclesiæ Attributū est, q; dicitur APOSTOLICA: quod itidē sibi cōuenire suauiter somniant Romana Synagogæ antagonites, Successionē suam loci ac personarū nunquā interruptā, Iudeorū

more crepantes, & ob id Ecclesiam suam Romanam, Apostolicam esse  
clamantes, quia continua successione ab Apostolis deducta sit.

203. Quemadmodum vero hactenus præcedentia tria Attributa, ex  
indubitatis S. literarum testimonij, ipsis eripuimus: ita ijsdem armis in-  
structi, de hoc quoq; præsidio, quod in successione collocatum habent, eos  
dejciemus.

204. Utq; rem breuiter complectamur, negamus simpliciter, Eccle-  
siæ propter successionem externā loci, aut personarum, dici Apostolicam.

205. Nam Successio valdè lubricum, inconstans, & fallax Ecclesiæ  
attributum est, quo non minus Hæreticæ Ecclesiæ niti, atq; inde dogmatis  
sui falsi veritatem astruere possunt, quam vera Christi Ecclesia.

206. Sit nobis exemplo Antiochena Ecclesia, ab Apostolis initio  
plantata, post Samosateni Hæresi infecta. In illa, nunquam interrupta  
serie, successerunt sibi inuicem ordinarij Episcopi, ab Apostolis usq; ad  
Paulum Samosatenum, qui blasphemò ore Christi diuinam naturam ne-  
gauit, eumq; solum ac nudum fuisse hominem impiè asseruit. Quærimus  
ergo iam ex Pontificijs, an non illa Ecclesia, dogma suum detestandum  
hominibus commendabile reddere, & ut Apostolicum venditare potuisset,  
si pondus aliquod haberet argumentum à successione continua & non in-  
terrupta Episcoporum deductum.

207. Sic responderi nobis petimus, an non par i ratione Græcorum  
Ecclesia errorem suum de Spiritu Sancti processione defendere posset,  
quia videlicet longa serie Patriarchas & Episcopos suos enumerare po-  
test.

208. Quamobrem non statim Apostolicum esse concludimus, quod  
non interrupta successione ad nos usq; deriuatum est: nec ea Ecclesia no-  
minari Apostolica potest, in qua continua serie sibi inuicem successerunt  
Episcopi: sed illa Ecclesia Apostolica est, quæ doctrinā Apostolicā inuiola-  
tam proficitur & sequitur.

209. Quemadmodum enim Christus ait, illos esse verè suos disci-  
pulos, qui in sermone suo maneant. Ioh. 8, 31: ita nos imitati Christū, dice-  
re possumus: Illos esse verè Apostolorum discipulos, & illam esse Aposto-  
licam Ecclesiam, quæ eandem habet cum Apostolis communionem fidei,  
idemq; doctrinæ genus amplectitur.

210. Quod si iam instituenda sit doctrinæ Apostolica & Pontificie  
comparatio,

omparatio, evanescit & infumum abit, omnis illorum de Ecclesia Apostolica gloriatio: & concidit quidquid de suorum Episcoporum Romanensium successione continua, plenis buccis iactitant, & nunquam non predicant.

211. Eam itaq; contra iam dicta, & ex verbo Dei demonstrata, porr̄o vrgere volentibus, & se Apostolicā habere Ecclesiam euincere cupientibus, cum Christo (in eodem argumenti genere cum Iudeis disputante Ioh. 8 cap.) respondemus: Esse ipsos quidem Apostolorum semen, sed ex patre natos diabolo.

212. Et hæc de Nominе, Definitione, Distiſione, Causis & Adiunctis Ecclesiæ, in vſitato Symbolo eidē attributis, pro hoc tēpore dicta sufficiat.

213. AETERNO Deo, Patri Domini ac Seruatoris nostri Iesu Christi, vna cum Spiritu Sancto, sit laus, honor, & gratiarūactio, quod ad Ecclesiæ veræ communionem (extra quam nulla salus est) vi infinitæ suæ bonitatis clementer nos vocauit; is etiam faxit, ut ipsum in hac Ecclesia secundum verbi sui præscriptum piè colamus: Sacramentis ad fidei confirmationem dignè vtamur: contra insultus Satanae, illecebras mundi, incitamenta peccati fortiter pugnemus: & tandem ex hac Militante ad Triumphantem alterius sœculi Ecclesiam transferamur, AMEN.



ΠΑΡΑΔΟΞΑ ΕΝΔΟΞΑ  
DE EPISTOLA S.  
VDALRICI EPISCOPI AVGV-  
STANI, AD NICOLAVM  
I. Pontificem.

I.

**E**Pistolam S. Vdalrici Episcopi Augustani ad Nicolaum I. Pontificem, satemur illius non esse, qui ex Comitum Dillinganorum familia ortus, quinquaginta totos annos, Augustano Episcopatu, secundus huius nominis præfuit, & A. C. 973. vel vt alij volunt, 978. obiit.

II.

Est autem alterius & prioris Vdalrici: quem Vdelmannum Catalogi Episcoporum Augustanorum, à Bruschio & Munstero editi, nominant.

III.

Hunc autem circa A. C. 851. Episcopatum inisse, testantur numeri annorum, qui Antecessoribus ipsius in Catalogo Munsteri tribuantur.

IV.

S. Vickero enim, cuius initium collocatur in A. C. 782. anni tribuuntur XVI. S. Thossoni XII. S. Simperio XXX. Hantoni VII. S. Neodegario siue Nycario IIII. quisunt in vniuersum anni LXIX. & annis DCCLXXXII. additi, annum producunt 851.

Quod

V.

Quod si sit A. C. 851. Episcopus factus est Vdalmannus, & annos septem sedet: quanquam Bruschius menses præterea octo ei largitur: potuit sanè ad Nicolaum I. Pontificem scribere, qui A. C. 858. 8. Cal. Maij, secundum Panuinum, aut etiam secundum alios anno 857. Pontifex est factus.

VI

Fuisse autem duos S. Vdalricos, Augustanos Episcopos, ambos Sanctos, & eorum solemnitatem in Suevia solemniter celebratam esse, Compilatio quædam Chronologia ærvvnuos (hic enim libri titulus est) testatur, edita tom. 1. Scriptorum Germaniaæ Pistorij, pag. 732, 19.

VII.

Nec recens, aut Patrum nostrorum memoriam confictam esse hanc Epistolam, ex Bertholdo Constantiense Presbytero, in Appendice ad Hermannum Contractum, probamus.

VIII.

Is enim iam ante trecentos & quindecim annos, anno videlicet Christi 1079. à Gregorio Papa in Synodo quadam Romana, scriptum, quod dicitur Sancti Vdalrici ad Papam Nicolaum, de Nuptijs Presbyterorum, ut & Capitulum Paphnutij de eadem re damnatum esse, memoriae prodidit. parte prima Vrftisj, pag. 349, 40.

IX.

Quo iure quave iniuria Damnatio hæc facta sit, iam non disputamus; hoc uno contenti, vetustiorem hanc Epistolam esse, quam ut à Preceptoribus nostris conficta possit existimari.

FINIS.

120-11100-2


59 635

ULB Halle  
004 830 156

3



WMA H. 79



**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black	White	3/Color	Magenta	Red	Yellow	Green	Cyan	Blue
-------	-------	---------	---------	-----	--------	-------	------	------

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

THESES  
DE ECCLESIA,

*Quas sūv Θεῶ*

PRAESIDE

IOHANNE PAPPO, DOCTORE  
Theologo, xix & xx. Septembr. de-  
fendere conabitur

M. IOHANNES CASPARVS PAPPVS  
Lindauiensis, earum Author.



Argentorati, Excudebat Antonius Bertramus.  
clo. I. xclIV.

